

367

365

371

361

376

356

416

316

466

266

Ende

Anfang

356

naen et parvulum filium, quem enixa fuerat, et eam regi Apuliae Pilunno praesentaverunt, qui eam uxorem duxit. Hujus rei gratia antiqui in littore illo Danae templum aedificaverunt. Item secus hunc Metapontum dicunt Palladis templum fuisse, in quo diu servata sunt Epii instrumenta, quibus durum equum apud Ilium fabricaverat, et bipennes aereae et arma Diomedis sociorum deposita et diu ostensa sunt. Dicunt insuper, ibi canes fuisse Graecis venientibus laeta garrulitate blandientes; sed quod longe majus et verius et venerabilius est, hoc in monte anno Domini 481 tempore Senonis Michaelis archangeli specus incolis ostensus est mirabili prodigo, ubi summa devotione a Christianis visitatur. In hoc monte dicit Catholicon, ibi ferula crescit herba, quae dicitur ferula, quia tam calidae naturae est, quod austro flante incenditur herba, et quandoque tota regio aduritur. Ibi in mari sunt insillae, quae dicuntur insulae Diomedis, ubi occiso ab Illyricis templum ingens aedicatum fuit. Hic Diomedes dux audacissimus cum ceteris Graecis ad obsidionem Trojanam accessit et cum Hectore et Aenea congressiones fecit ipsumque Martem vulneravit et Venerem, Aeneam protegere volentem, qui cum in Graeciam repatriare vellet et uxorem suam cum alio concubuisse audiret, patriam renuit et in exilium se relegavit navigans in Apuliam, et oppugnato monte Gargano et aedificata Siponto imperfectus ab Aenea fuit et deicatus, cuius socii in aves conversi ejus templum circumvolare dicuntur. Sunt enim aves albae, quas Latini diomedes, Graeci herodios vocant, quae nusquam reperiuntur, nisi in insula Diomedis, et omnibus infestae sunt et clamant, demitis Graecis, et vulgus credidit, fuisse socios Diomedis, et singulis diebus aquam rostris sumunt et templum Diomedis perfundunt. De his loquitur Augustinus de civitate Dei et in Spec. Natur. L. 17. C. 68.

In ea Apuliae et Calabriae regione est urbs Hydruntum, quam Turci magna adducta classe ceperunt et multo effuso sanguine cunctos, nemini parcentes, crudeliter peremerunt, in quo Italiae universae immensus timor incussus est, et nisi Deus Machumetum, virum utique in bellicis rebus fortunatissimum, statim de medio tulisset, Italiam aggressus fuisse, ad quam semper anhelavit, unde in epitaphio sepulchri ejus inter metra haec habentur:

